e-codices

guiſsimi Curienſis episcopatus, hæc inter alia de Euſebio
noſtro memoratu digniſsima, et verè in summam admirati-
onem raptus fui, quid enim? ſed audite præclara testi-
monia, et quamvis omnium virtutum laude esset eximius
cibi tamen et potus abstinentia fuit admirabilis, ita ut
veterum Ægyptiorum Patrum morem cibo arcendæ mortis
potiùs, quàm producendæ vitæ admisso in morem revocare
videretur, ô virum sanctitate eximium! ô athletam Christi
strenuiſsimum! quis unquam dignis laudibus et encomiis tant-
um facinus adæquare poterit? hæc enim vel solùm inter
barbaras gentes, non inter confratres fecisse laude digniſ-
simum fuit, nunc in regione aspera frigidiſsimaq, non illa
Ægypti æstiva, fecisse, et per annos omnino quinquaginta
fecisse, et inter gravem animarum curam fecisse, et quid-
em in summa senectute fecisse hæc hac profecto sublimis
et admiranda abstinentiæ virtus, quæ si non omnes
Ægypti Patres superat, plurimis certe (dicere non ve-
reor antecellit) herbarum itaq radicibus persæpe Euſebium
victitaſse cui dubium esse potest? unde enim tanta po-
tuisset abstinentiæ virtus excrescere, nisi ex his radicibus?
sed videamus nunc quis sitienti potus fuerit, geminos
illi fontes fuisse quis neget? si calidos illos fluxiſse dicam?
de lectulo verò ipsius quid dicam? quid vobis videtur Aud:
Humani? terram ne fuisse dicitis? poterat poterat utiq

Lizenz: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 326v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/de/zbz/D0147/326v)